

singularium, et optassem nihil magis quam quod istud opus continuasses pluribus novis plantis. Figuræ enim tuæ propriæ pulcherrimæ, elegantissimæ, suavissimæque sunt, ut numquam de iis poterit Botanicus hæsitare. *Witsenii* non omnes bonæ sunt; sed imprimis *van den Stell* figuræ minus arrident.

Sed ad *Capenses* tuas. missas redeam

*Scirpus capillaris* absque numero, reliquis plantis immixtus.

*Scabiosa africana*, sed pumila et pygmæa, vix florens.

69 *Penæa mucronata*

15 *Echium fruticosum*. eximium exemplar.

80 *Echium glabrum* caule lævi, foliis lanceolatis nudis margine carina apiceque scabris. *Pluk. phyt. t. 341. f. 7.* *Echium* afr. perenne lycopsidis facie. *Old. Afr.* *Echium* afr. minus, fol. oblongis glabris fl. cæruleis. *Herm. Afr.*

60 *Diosma lanceolata*?

75 *Diosma oppositifolia*, absque numero, qua *Hottentotti* pro emplastro

*Schoenus capensis*, culmo tereti ramosissimo vaginato, spicis ovatis nudis. *Breyn. cent. 91.* tenacissimus pro vinculis

65 *Bubon Galbanum*

6 *Mollugo verticillata* *Sp. pl. 4* β. quam vidi esse *Pharnacei* speciem.

62 *Crassula coccinea*..

12, 13 *Erica æthiopica*, antheris bicornibus inclusis, corollis campanulatis, calycibus brevissimis, fol. quaternis linearibus glabris.

59 *Passerina sericea*, pulchre a te delineata.

34 *Silene* - - - speciem non possum definire.

31 *Rubus fruticosus*? forte ex Europa ad C. B. S. allatus, cum non reperiam apud Authores capenses.

48 *Galeopsidi* similis planta, cujus flores deficiunt.

41 *Lantana africana* in Hortis vestris frequens.

7 *Scrophulariæ* similis, sed flores extricare nequeo.

Planta absque floribus quod doleo. est *Commel. hort. 2 p. 119. t. 60.*

15 *Arabis capensis* foliis linearibus, siliquis torosis. *Herm. Lugd. B. 367.* sed non reperio folia radicalia pinnatifida.

17, 63 *Polygala myrtifolia* duplici sub numero.

16 *Polygala Heisteria*